





*Ps. 35. Rubr. 5.*

17

1748/4

5

ORDINIS IVRIDICI  
IN

ACADEMIA CHRISTIAN-ALBERTINA

PRO-DECANVS,

AMANDVS CHRISTIANVS DORN, D.

CAESAREAE CELSITVDINIS, SERENISSIMI IMPERII RVTHE-  
NICI HEREDIS CONSILIARIVS CANCELLARIAE DVCALIS SLESVICO-HOL-  
SATICAE, IVRIS CANONICI ATQVE CIVILIS ROMANI PROFES-  
SOR ORDINARIVS,

*P. 252*

AD

DISSERTATIONEM INAVGVRALEM

VIRI PRÆNOBILISSIMI ATQVE DOCTISSIMI,

DN. CHRISTOPHORI LIPSTORPII,

HAMBVRGENSIS,

DE

TESTAMENTIS FEMINA-  
RVM HAMBVRGENSIVM,

PRO

GRADV DOCTORIS

IN VTROQVE IVRE RITE CONSEQVENDO,

DIE III. APRIL. ANNO MDCCXXXVIII. IN AVDITORIO MAIORI  
SOLENNITER HABENDAM

EA, QVA PAR EST, OBSERVANTIA INVITAT

ATQVE

DE

CVRA MINORVM PER TESTAMENTVM  
VEL ARCTATA VEL PROROGATA

PRÆFATVR.

KILONII, LITTERIS GOTTFR. BARTSCHIL.



ORDINIS IURIDICI

ACADEMIA CHRISTIAN-ALBERTINA

CHRISTIANUS DORN D.

DISSELTATIONEM IN IURISPRUDENTIA

CHRISTOPHORI HOPFSTORFI

DE TESTAMENTIS IEMINA

GRADU DOCTORIS

IN IURISPRUDENTIA

PROFESSORIS IURIS

ALUMNI IURIS

PROFESSORIS IURIS

PROFESSORIS IURIS

PRÆFATUS

ALUMNI IURIS





Dispositiones priuatorum juri publico non posse derogare, (a) neque licere cuiquam in testamento suo cavere, ne leges in eo locum habeant, (b) aperte in jure nostro definitum legimus. Unde, cum hoc de iis, quæ vel propter salutem publicam jubent leges, vel formam dant negotio substantialem, sit accipiendum, (c) consequens est, quod, ubi per publicas leges, ut fieri solet, tempus, ad quod liberi sub tutoribus curatoribusve esse debeant, præscriptum, neque in patris neque in alterius potestate sit constitutum, tempus illud arctare, eo effectu, ut post lapsum temporis a patre aliove definiti liberi statim rerum suarum administratio committatur; (d) posteaquam in utilitatem Reipublicæ hoc esse introductum, ut, qui ipsi propter ætatem rebus suis impares, aliorum regantur auxilio consilioque, nemo temere sit negaturus, nisi qui putet, Reipubl. haud interesse, cives ipsius eam vivant vitam, qua bonis suis exuti Reipl. fiant graves, an vero aliam eamque viam ingrediantur, ut patriæ non solum non sint oneri, sed de eadem etiam bene mereantur.

(\*) 2

Et

(a) l. 38. ff. de Pact. (b) l. 55. ff. de legat. I. (c) JAC. BRUNNEM. ad l. cit. 38 & 29. C. de Pact. & l. 55. ff. de legat. I. n. 4.

(d) Quamvis enim, in testamento etiam ad certum tempus tutores dari posse, qui finito eo tempore tutelam deponunt, indubium sit §. 3. *Inst. qui testam. tut. dar. poss.* §. 5. *Inst. quib. mod. tut. fin.* l. 14. §. 3. ff. de tut. & l. 8. §. 2. ff. de testam. tut. impuberes tamen tales, hoc factio, iterum subjiuntur tutelæ & quidem legitimæ, ideo, quod testator, cum tutorem legitimum expresse ad certum tempus duntaxat exclusiverit, in tutelam a legitimo, eo tempore elapso, gerendam tacite consensisse dicendus sit, neque adeo a casu tutoris testamentarii excusati vel remoti, ubi tutelæ dativæ locus est, ad hunc casum, ubi ad certum tempus tutor in testamento datus, valeat consequentia.

## IV

Et quî sane, quum, iudice ARISTOTELE, (e) ea demum felix sit Respublica, quæ cives habet bonos ac probe formatos, fieri poterit, ut ad eam felicitatem unquam adspiret civitas, nisi pupilli & minores stipati sint curatoribus, quorum opera bene educantur & ad probitatem, virtutem prudentiamque instituuntur (f). Ut adeo neque per pacta familiæ tempus illud minorennitatis contrahi posse nullus dubitem, quippe cum illis datum esse hoc privilegium, ut juri in favorem Reipubl. constituto derogare possint, nullibi reatum inveniamus. (ff)

De eo quamvis ego saltem loquar casu, ubi quis sua autoritate curam pupilli in testamento suo contrahere velit. Principe enim autore fieri illud posse, quis est, qui nescit? cum ejus arbitrio relictum esse, vi potestatis abrogandi leges priores, omnino terminum minorennitatis mutare atque brevius tempus præstituere, inter omnes constet, adeoque ipsi quoque per modum dispensationis in speciali quodam casu eandem competere facultatem & natura velit dispensationis, in abrogatione legis quoad specialem aliquem casum consistens, & prædicatorum generis ad species & individua applicatio, quæ est legitima. (WOLFFII *Log. Lat.* §. 235. 236.) Memorabilis eam in rem exstat Codicillus Principalis, quo LUDOVICVS Dux ac Elector Brandenburgicus anno MDCXXXIX vasallo ac subdito de BVCH tempus minorennitati præscriptum intuitu liberorum suorum artare

(e) Polit. L. VII. c. 1 & 8.

(f) Unde etiam facile patet, an tutela muliebris per testamentum tolli queat? quod, cum hanc quoque tutelam utilitas Reipl. produxerit, EVER. OTTO *de perp. femin. tut. c. 1. §. 9.* JO. GOTTL. HEINECCIUS *de marit. tut. & cur. uxor. legit. c. 1. §. 3.* JO. ANDR. HOFFMANN *de cur. mulier. Pos. 2.* eodem modo negandum est.

(ff) Et hoc tamen fieri posse statuit Dn. AUG. de LEYSER Sp. 328. Med. 25

Etare permittit his verbis: *Benevolentia nostra poterit, si decreverit, prolem impuberem, nondum etatis debita existentem, habitare defectumque etatis supplere & adeo habilem facere, ac si ad annos discretionis omni modo pervenisset* (g).

Id quod tamen tantum de civibus Principum intelligo, cum, quoad ipsos Imperii Principes, hi singuli quoad personam suam sint cives Imperii, & hinc terminum ipsis in legibus & observantia Imperii præstitutum intuitu liberorum aliorumve cognatorum in testamento suo, instar aliorum civium, arctare non possint, nisi auctoritate Imperatoris, qua tamen accedente, si modo non obstant pacta vel familiae vel cum subditis, illud licet; tutela quamvis sit fructuaria, & legitimæ tantum locus, adeoque agnatis jus quæsitum auferri videatur. Requiritur enim ad jus quæsitum, ut non solum factò aliquo interveniente juris alicujus quis factus fuerit particeps, sed etiam ut leges factò isti illum tribuant effectum, quem alter inde resultare præterdit. (WOLFFII *Jus Nat. P. 3. §. 442.*) Quamobrem, cum non detur lex, quæ in casu licite contracti majorennitatis termini excipit tutelam fructuariam vel ubi legitimæ tantum locus, jus quæsitum agnatis auferri, contracto majorennitatis termino, dici non potest; inprimis cum in favorem agnatorum hoc non sit introductum, ut minorenes Principes eousque sint in curatione, sed in commodum provinciarum adeoque agnati jure contradicendi gaudere nequeant; & conditio præterea per se inesse dicatur, si sine ea præstatio ejus, de quo agitur, concipi nequit; (WOLFFII *Jus Nat. P. 3. §. 806.*) tutela vero tam fructuaria quam legitima requirat pupillum sub tutoribus, (WOLFFII *Jus Nat. P. 7. §. 341.*) indeque constitutionibus, vi quarum tutelæ fructuariæ vel le-

(\*) 3

gi-

(g) vid. Jo. PETR. de LUDEWIG T. VII. Reliquiar. L. I. n. 67.

gitimæ tantum locus, hæc conditio per se inest, si pupillus sub tutela esse debeat. Iam vero conditio, quæ per se inest, pro expresse adjecta habenda; (WOLFFII *Jus Nat. P. 3. §. 807.*) qua deficiente deficit obligatio. (WOLFF *d. l. §. 481.*) Ergo habetur ac si constitutionibus, quæ legitimam eamque fructuariam præscribunt tutelam, expresse conditio adjecta, si pupillo alieno regendus auxilio, adeoque, existente die contractæ majorennitatis hoc cessante, cessare etiam debet agnatorum jus tutelæ (h). Et unde sane alias potestas Imperatoris, quam non nisi rerum domesticarum ignari negabunt (i), concedendi veniam ætatis Imperii Principibus, quorum tamen tutela & fructuaria & nonnunquam legitima tantum? Aut quænam ratio legum justificata, quæ Principi concedunt facultatem in præjudicium heredum ab intestato illis impertiendi testamenti factionem activam, qui alioquin ea sunt destituti (k)? Illud licet expediti juris sit, ejusmodi majorennis, ex voluntate testatoris talis, eadem tunc esse jura, quibus gaudet, qui veniam ætatis impetravit, nisi Principi eadem expresse vel extendere vel restringere placuerit, propter eandem utrobique rationem.

Alia vero plane via incedendum, si cui animus est tempus minorennitati præfixum in testamento suo præter causas in jure definitas ex suo saltem arbitrio prorogare, ita ut liberi, antequam in suam veniant tutelam, lapsum temporis

(h) Idem modus demonstrandi obtinet, si quærat, annon, quoad cives & subditos, heredes ab intestato propter testamenti factionem minoribus lege talibus forsan per constitutionem provincialem denegatam jure contradicendi gaudeant?

(i) GODOFR. DAN. HOFFMANN *de jure Imperat. veniam ætat. conced. §. 7. seqq.*

(k) *l. 7. ff. qui testam. fac. poss. SAM. STRYCK. de caut. testam. c. 3. §. 10. ibique cc. Dd.*



poris a testatore præstituti expectare teneantur. Non enim in salutem Reipl. hoc est constitutum, ut elapso tempore in legibus præscripto curatela finiatur. Quid enim Reipl. interest, utrum, qui rebus suis supereffe potest, ipse bona sua administret, an vero id fiat per alium? sed cessans potius tunc causa introductæ curationis eorum, qui propter ætatem se suaque ipsi defendere non possunt, operatur, ut tunc in favorem ipsorum adolescentium cessare etiam debeat cura. Ut adeo eas legum dispositiones, quibus cavetur, ne, quod in utilitatem publicam constitutum, privatorum tollat arbitrium, ad decidendam hanc, de facultate privatorum prorogandi in testamento suo terminum majorenntatis, controversiam qui adhibet, a diversis concludit ad diversa adeoque erret. (1) Nimirum a cujuslibet voluntate unice pendet, quo modo dominium vel jus quoddam suum in alterum transferre, seu ut leges loquuntur, quam rei suæ legem dicere velit. (*l. 21. C. mand. WOLFFII Jus Nat. P. 3. §. 11.*) Nihil ergo tam naturale est, quam eum etiam sub hac conditione rem suam in alterum transferre posse, ut hic ultra terminum in legibus præstitutum curationi subsit; nulla ei, cui hoc modo aliquid in testamento delatum, de injuria & ablato majorenntatis jure quæsito competente querela. Etenim, vi libertatis naturalis nobis competentis, a voluntate promissoris in acceptando non dependet promissarius, (*WOLFF. P. I. Jur. nat. §. 152.*) sed in hujus unice voluntate positum est, utrum promissum cum adjecto onere acceptare velit nec ne? (*WOLFF. d. l. §. 153.*) Quam ob rem, cum ex promissione nullum jus promissario

(1) Agunt hoc tamen HENR. THEOD. PAGENSTECHE in Orat. de Pupill. sub tut. ibique all. STEPH. GRATIANUS in discept. for. & CASPARUS ZIEGLERUS earum, quas Berlichianis subjectas videmus, Decisione prima.

## VIII

missario acquiratur, antequam acceptatio facta; (WOLFFII *Jus Nat. P. 3. §. 365.*) si testator jure suo usus (*per priora*) sub conditione prorogandæ minorennitatis in aliquem rem suam transfert, jus ejus perfectum non lædit (WOLFF §. 239. P. 1. *Philos. pract. univ.*) Quoniam itaque nulla cui fit injuria, quamdiu nihil fit contra ejus jus perfectum, (WOLFFII *Jus Nat. P. 1. §. 859.*) Si testator onus prorogandæ minorennitatis hereditati vel legato in aliquem transferendo adjicit, nulla huic fit injuria. (m)

Et annon eo ipso hæc principia quoad tutelam testamentariam sunt approbata, ubi illis, qui alias testamento tutores dare non possunt, tunc tamen id licet, quando pupillum heredem instituunt? (n) Nonne porro, cum patri permissum in longius pubertate tempus liberis suis dare tutorem, (o) quibus tamen invitis, adepta pubertate, curator constitui non poterat, (p) nonne, inquam, hoc iterum est argumentum licitæ extensionis curæ minorum ultra tempus minorennitatis in legibus præstitutum? Quamquam enim me non lateat, confirmatione magistratus opus esse, ut valeat hæc in testamento facta tutoris datio, causâ tamen requisitæ hujus confirmationis posita est in natura tutelæ testamentariæ, cum non nisi *patri & quidem impuberibus*

(m) Est mihi vero de civibus tantum privatæ fortis sermo, cum Principes Imperii suos Principatus antecessori non debeant, adeoque in iis hæc demonstratio locum habere non possit. vid. HENR. COCCEIUS de tutel. illustr. Sect. 2. §. 5. seqq. Idem dicendum de successione in fideicommissum & feudum ex pacto & providentia majorum tale.

(n) l. 4. ff. de testam. tut. l. 1. §. 2. & l. 2. §. 7. ff. de confirm. tut.

(o) l. 101. §. 2. ff. de condit. & demonstr. l. 1. §. 3. & l. 6. ff. de confirm. tut.

(p) §. 2. Inst. de curat. l. 3. C. de restit. in int. l. 2. §. pen. & ult. ff. qui pet. tut.

ribus in potestate sua constitutis testamento tutores dare liceat, (q) adeoque eum in finem, ut alio modo constituta tutela effectus & jura tutelæ testamentariæ singularia nanciscatur, Prætoris autoritas desideretur.

Sed quid ulteriori demonstratione opus est? Elegantissimus est, quem divinus PAULUS in Epistola ad Galatas reliquit, locus, (r) ubi *infans*, ait, *est sub tutoribus & Curatoribus usque ad tempus a patre præfinitum*; (s) quemque eo magis ad principia juris Romani ibidem respexisse puto, quo certius constat, ipsum non solum civem Romanum & hujus juris peritissimum; (t) sed Galatiam quoque jam sub Cæsare Octaviano in provinciæ formam redactam fuisse, (u) provinciales autem & speciatim incolas Galatiæ non suis sed Romanorum legibus vivere debuisse. (x)

Quemadmodum interea cuncta hæc rationem suam habent in libera cuique rei suæ competente translatione, (*per priora*) adeoque extra casum, ubi testator quem hereditate vel legato honoravit, propter deficientem rationem cessare debent: (WOLFFII *Ont.* §. 70.) ita, cum posita eadem ratione sufficienti, idem necessario sit, quod propter eam potius est, quam non est, (§. 118. & 208 *Ont. Wolff.*) porro facile consequitur, non in patris tantum potestate hoc esse constitutum, ut intuitu liberorum suorum tempus

(\*) (\*)

(q) l. i. pr. & l. 3. ff. de testam. tut.

(r) c. 4. v. 2.

(s) Confer. quæ ad hunc locum illustrandum scripserunt ZACH. HUBERUS in *diff. Jurid. Philol. L. I. diff. 4. c. 4.* HENR. THEOD. PAGENSTECHER in *orat. de pupill. sub tut. ibique* all. JAC. ELSNERUS in *Observ. Sacr. T. II. p. 188.* & BIBLIOTH. BREMENS. *class. 5. Fasc. I. p. 40. seqq.*

(t) JO. ORTW. WESTENBERG in *diff. de Jurispr. Paul. Apost.*

(u) GOTTL. WERNSDORFF in *tr. de Republ. Galat. c. 6. §. 30. 31.*

(x) JO. GOTTL. HEINECCIUS *Antiq. Rom. in App. L. I. §. 101. seqq.*

pus minorennitatis extendere queat, sed cuique alii id quoque licere, ut, quem velit, ea conditione vel heredem faciat, vel legato prospiciat, si modo casu priori liberos ultra legitimam, quæ omne onus respuit, (y) instituat, & quoad utrumque hoc modo gravatus hereditatem vel legatum acceptet. (*per priora*) Quin, licet liberi ultra legitimam sub hac conditione instituti adeant hereditatem, quoad legitimam tamen huic oneri non subsint, nisi, adhibita cautela Socini, testator ad legitimam illud extendat, hac ratione, ut, si liberi non acquiescant voluntati paternæ, sola legitima contenti esse debeant; cum, quo minus eorum, qui eo ipso, quod ultra legitimam instituti liberi & onere sint gravati omnium bonorum, tacite hanc cautelam Socini subesse existimant (z), subscribam sententiæ, leges vetent, quæ volunt, ut testator legitimam semper exceperit censetur (aa), eademque maneat salva, quamdiu eidem in specie non renunciatum, etiamsi liberi paternæ hereditati se immiscuerint etiam absque protestatione (bb).

Quamvis, cum quilibet testator de suis tantum bonis, non de alienis (cc), ne de ipsius quidem heredis (dd) cogitasse in dubio videatur, prorogatum illam curam propria

- (y) l. 32. C. de inoff. testam. Nov. 18. c. 3. c. 16. & 17. X. de Testam.  
 (z) Ita vero sentiunt Jo. BALTH. WERNHER P. 6. Obf. 478. & Jo. ULR. de CRAMER de Caut. Socin. abund.  
 (aa) l. 36. §. 1. C. de inoff. testam. c. 16. & 18. X. de testam. PEREGRIN. de fideicomm. art. 3. n. 132. & art. 8. n. 40. AUG. de LEYSER Sp. 404. Med. 10. FUSAR. de fideic. subst. Quest. 296. n. 2.  
 (bb) l. 35. §. 2. & l. 36. C. de inoff. testam. CARPZOV. P. 3. C. 12 def. 4. ibique *Esbach*, STRYCK de Caut. Testam. c. 17. m. 2. §. 16  
 (cc) l. 24. §. 1. ff. de legat. 1. l. 67. §. 8. ff. de legat. 2. l. 36. ff. de usufr. legat. l. 20. C. de legat.  
 (dd) Dn. de LEYSER Spec. 404. Med. ult. & Cor. 2.

pria saltem testatoris bona concernere putarem, nisi ad bona heredis propria eandem esse extensam appareat, vel figura verborum aliud suadeat, quippe cum bona heredis etiam (ee), imo ipsam ejus personam onere affici posse, leges loquantur (ff).

Unde nunc facile judicium ferri potest, an & quatenus hi curatores minorenesque iisdem cum reliquis lege talibus gaudeant juribus? Habent scilicet privilegia illa atque jura singularia pupillorum minorumque rationem suam in eo partim, quod hæc cura utilitatis publicæ causa fuerit introducta (gg): partim vero illis nolentibus curatores dentur, adeoque, ut privilegiis illis hoc compensetur incommodum, æquum sit (hh). Quo vero in ea, quæ ultra terminum minorennitatis est prorogata, cura cessante, (*per priora*) jura quoque illa minorum singularia in posteriori quoad tempus prorogatum ut cessent necesse est; excepto casu, quo superior hanc sigillatim curam confirmavit, ubi curationi huic jura tutelaria concessa censentur eodem modo, quo id fiebat apud Romanos. (*per priora*)

Sunt ergo curatores, qui non nisi volentibus dantur, & procuratores universales, quorum notio in eos, de quibus agimus, cadit & ex quorum jure adeo æstimandum, quid circa minores ex voluntate testatoris tales eorumque curatores justum sit. Quis igitur dubitabit l) ad hanc curam suscipiendam continuandamque neminem invitum cogi posse?

(\*) (\*) z

(ee) §. 4. Inst. de legat. l. 25. C. de fideic.

(ff) §. 21. Inst. de legat. l. 11. §. 15. ff. de legat. 3.

(gg) Princ. Inst. de excuf. tut. l. 214. ff. de V. S. l. 2. §. 1. ff. ne de Stat. defunct.

(hh) SFORT. ODDUS *de restit. in integr. P. 1. quest. 3. n. 62.*

posse? id quod quidem fieri potest, si curatio in Reipubl. utilitatem locum habet, (ii) minime vero, si munus sit privatum (kk). Quid mirum II) nulla hos curatores indigere, quam necessaria requirit curatela (ll), confirmatione magistratus? qui III) vi officii supremæ, qua alias, non vero hic, fungitur, tutelæ de neglectis, veluti tutor honorarius, tenet ei, qui nolens administrationem rerum suarum alii committere necessum habuit (mm). Quem fugit IV) minorennibus datum esse hoc privilegium, ut contra eos, cum quibus negotium in minorennitate vel ab ipsis vel a curatoribus, unde damnum sustinent, gestum, restituantur & integrum jus suum recipiant (nn): quod tamen in nostris minorennibus merito cessat. Quisnam V) vel tacitam hypothecam, qua pupilli atque minores gaudent in bonis tutorum & curatorum (oo), alii vero, quorum cura est privata, destituuntur, (pp) hisce tribuet minorennibus in bonis illorum, quorum ipsi subsunt curationi; Vel quis VI) culpam levem, ab aliis tutoribus præstandam (qq), exiget a curatoribus minorennium ex voluntate testatoris talium, cum, qui volentibus saltem curatores dantur, de dolo tantum

(ii) l. 17. §. 3. & l. 41. §. ult. ff. de excus.

(kk) l. 2. §. 3. ff. de curat. bon. dand.

(ll) REC. IMP. de anno 1548 & 1577. tit. 32.

(mm) l. 1. pr. & l. 9. in f. ff. de magistr. conven. Rec. Imp. de anno 1577 tit. 32. §. 4. AUG. de LEYSER Spec. 343. Med. 6. Add. GEORG. CHRIST. GEBAUER de act. tut. advers. magistr. & Jo. GOTTL. HEINECCIUS de supr. Princ. Magistr. tut.

(nn) l. 13. §. ult. l. 12. & 24. §. 8. & l. 28. ff. de minor.

(oo) l. 20. C. de admin. tut.

(pp) l. 22. ff. de reb. aut. jud. poss.

(qq) l. 33. ff. de admin. & pericul. tut.

tantum & lata culpa teneantur? (rr) Quis VII) in jure adeo hospes est, ut nesciat, res immobiles minorennium non, nisi prævia causa necessaria, judiciali cognitione & decreto magistratus, a curatoribus alienari posse, (ff) ad hanc vero solemnitate[m] adhibendam alios procuratores universales non esse obstrictos? (tt) Debitorum porro pupillares VIII) ad hunc effectum, ut plenissima illis præstetur securitas & ab omni periculo iterandæ solutionis, amissa forsitan pecunia & læso inde pupillo, immunes fiant, sortem non solvunt curatoribus, nisi decretum præcedat magistratus; (uu) cum e contra procuratori omnium bonorum, indeque curatoribus minorennium ex voluntate testatoris tallium, absque decreto tuto solvere liceat. (xx) Et quid? IX) Constitutiones, quæ singulis annis rationes reddere jubent, illos tantum concernunt, quorum cura est publica, neutiquam vero hos, quorum cura saltem est privata.

Sed prohibent, quo minus hæc ulterius prosequar, limites prolusionis ex officii ratione præmittendæ dissertationi Juris auspicali,

DE

## TESTAMENTIS FEMINARUM HAMBURGENSIVM

quam proprio Marte conscripsit,

(\*) (\*) 3

PRÆ-

(rr) l. 9. §. 5. ff. de reb. aut. jud. poss.

(ss) l. 7. §. 4. ff. de reb. cor. qui sub tut.

(tt) l. 9. §. 4. ff. de acquir. rer. dom. l. 7. pr. ff. de calumn. JUST. HENN.

BOEHMER in Jur. Eccles. T. I. L. I. tit. 38. §. 4. seqq.

(uu) §. 2. Inst. quib. alien. lic. vel non l. 25. & 27. C. de adm. tut. & curat. Jo. Balth. Wernher P. I. Obs. 259. Phil. Lupin de debiti. pecun. pup. tuto solv. §. 15.

(xx) l. 58. ff. de procur. l. 12. pr. ff. de solut. l. 11. ff. de pact.

PRÆNOBILISSIMUS  
 SUMMORUM IN JURE HONORUM  
 CANDIDATUS  
 DN. CHRISTOPHORUS LIPSTORP

Quem vitæ suæ curriculum exponentem ipsum juva-  
 bit audire.

*Lucem, inquit, adspexi Hamburgi, in urbe & claritate & magnitudine ante plures memorabili anno MDCCXVIII die XI. Martii. Patrem habui MICHAELEM VINCENTIVM LIPSTORPIVM ad Ecclesiam Cathedralem, quae Hamburgi est, Prouisorem, matrem ANNAM CATHARINAM, mercatoris quondam Hamburgensis, MICHAELIS HINTZII filiam natu maiorem. Horum optimorum Parentum tantus in me fuit amor, ut nunquam, nisi cum graui doloris sensu, mortem ipsorum in memoriam mihi renocem. A tenera statim aetate eiusmodi me erudiendum dederunt praeceptoribus, qui cum ad verum Dei cultum, tum etiam ad morum praecepta mentem componerent. Postea linguarum & arithmetices principia me edocuerunt fidelissimi tunc temporis scholae Michaelitanae moderatores DVNCKERVS & FRANCKIVS. Deinde Johannem frequentare iussus praeceptores nactus sum Viros Praeclarissimos atque Doctissimos MÜLLERVM & NEVDORFIVM elegantioris doctrinae laude inclarescentes. Ex horum institutione dimissus Gymnasium adii, ibique lectionibus Virorum Praenobilissimorum, Amplissimorum atque Doctissimorum, Professorum tunc temporis eruditionis meritoremque fama insignium: RICHEY, WOLFFII, DORNEMANNI, REIMARII, EVERSII atque WINCKLERI intersui. Tandem*  
 anno



anno MDCCXXXIX Ienam petii, ibique per quadriennium, quod ibi moratus sum, in philosophicis institutionibus Doctores habui Viros Excellentissimos, Praenobilissimos atque Doctissimos REV-SCHIVM, SCHVBERTVM, DARRIESIVM atque MVL-LERYM: in iuris autem scientia informatione usus sum Virorum Illustrum, Grauisimorum HEIMBURGII in Institutionibus atque Digestis, ECCARDI in historia iuris Romani pariter ac Germanici, KEMMERICHII, hospitis quondam mei, paterno amore me complectentis, nunc autem eheu! defuncti in Iure criminali, Iure naturae nec non Iurisprudentia practica itemque arte referendi ac excerpendi ex actis iudicialibus, ENGAVII denique in Iure Germanico atque Iure Canonico. Quibus Viris ac Praeceptoribus meis publice adhuc gratias pro fideli ipsorum institutione nauataque in docendo diligentia hic persoluo, meque nunquam meritorum ac beneficiorum ab ipsis in me collatorum memoriam esse depositurum polliceor.

Domum tandem anno MDCCXXXV reuersus id quidem semper in animo habui, vt, quod iuris cultoribus propositum est, dignitatis fastigium aliquando appeterem, eo melius deinceps aliorum commodis profuturus; sed ingrauescens quotidie virium debilitas ac tandem insequuta mors Parentis optimi impedimento fuit, quo minus citius, quam nunc in illustri hac Kiloniensi Academia consilium hoc perficere potuerim.

Hæc igitur studiorum & legalis cum primis sapientiae ratio laudabiles illos ingenii fructus produxit, quales praenobilissimus Dn. Candidatus, supremos in iure honores modeste ambiens, Ordini nostro in consuetis examinibus luculenter ostendit, docta textuum propositorum resolutione aptisque responsionibus, adeo, ut, cum Doctoris ju-  
ris

XVI

ris utriusque titulo & privilegiis dignissimus fuerit iudicatus, nihil amplius supersit, quam ut antea dissertationem suam inauguralem, me Præside, publice contra dissentientes, id quod fiet die III. April. tueatur. Quam ob causam, ut omnes omnium Ordinum Proceres, natalium munerumque dignitate conspicui aliique litterarum litteratorumque Fautores, nec non Cives Academiae generosissimi atque nobilissimi actum hunc praesentia sua splendidiorum & ornatiorum reddant, frequentesque adesse velint, ea, qua par est, veneratione humanitateque cum meo, tum Ordinis mei nomine oro rogoque. P. P. sub sigillo Facultatis Juridicae. Kilia die XXXI. Mart.  
MDCCLXVIII.




ULB Halle 3  
004 094 174  


f.  
sb.







17

As. 35. Buch. 5.

1748/4

5

ORDINIS IVRIDICI  
IN  
ACADEMIA CHRISTIAN-ALBERTINA  
PRO-DECANVS,

**AMANDVS CHRISTIANVS DORN, D.**  
CAESARAE CELSITVDINIS, SERENISSIMI IMPERII RVTHE-  
NICI HEREDIS CONSILIARIVS CANCELLARIAE DVCALIS SLESVICO-HOL-  
SATICAЕ, IVRIS CANONICI ATQVE CIVILIS ROMANI PROFES-  
SOR ORDINARIVS,

P. 252

AD  
DISSERTATIONEM INAUGVRALEM  
VIRI PRÆNOBILISSIMI ATQVE DOCTISSIMI,  
**DN. CHRISTOPHORI LIPSTORPII,**  
HAMBVRGENSIS,

DE  
**TESTAMENTIS FEMINA-  
RVM HAMBVRGENSIVM,**

PRO  
**GRADV DOCTORIS**  
IN VTROQVE IVRE RITE CONSEQVENDO,  
DIE III. APRIL. ANNO MDCCXXXVIII. IN AVDITORIO MAIORI  
SOLENNITER HABENDAM

EA, QVA PAR EST, OBSERVANTIA INVITAT

ATQVE

DE

**CVRA MINORVM PER TESTAMENTVM  
VEL ARCTATA VEL PROROGATA**

PRÆFATVR.

KILONII, LITTERIS GOTTFR. BARTSCHIL

KOENIGLICH  
UNIVERS.  
ZVHALLE